

mutandi causa factæ, ejus jurisdictio comprehendit etiam personam quæ rem acquisivit. — Secundum caput sub comminatione censurarum reprobatur abusus clericorum, qui quæstionibus emergentibus inter laicos, acquirunt actiones alicujus, atque ita privilegiis suis adversario incommoda creant.

TITULUS XLIII.

D e A r b i t r i s .

1. Inter personas quæ de causis decernunt, ac quæstiones dirimunt, Arbitri numerantur. Arbitrator lato sensu, seu generatim loquendo idem est ac vir bonus et prudens qui ad aliquod negotium et æstimandum et terminandum eligitur. Hoc in sensu qui amicabile compositione negotium terminat, dici potest arbitrator. Arbitrator vero stricto sensu sumptus definitur 'Persona idonea, sive ex legis dispositione, sive ex conventionione partium electa, ut circa exortam controversiam suum iudicium proferat, cui partes stare debent'. Arbitrator qui ex legis præscripto constituitur, dicitur Arbitrator juris; qui ex partium conventionione eligitur, dicitur compromissarius. Arbitrator insuper assumit partes iudicis, et procedere debet ordine juris servato, et ejus sententiæ standum est, sive justa sit, sive iniqua. Porro sententia Arbitri dicitur *Arbitrium* vel *laudum*. Codices legum solent determinare normas, quibus compromissum debet fieri et quibus adherere debet Arbitrator ut ejus iudicium obtineat effectum legalem.

2. Præter Arbitrum datur *Arbitrator*. Arbitrator est persona idonea quæ de negotio, ex. gr. de contractu societatis, de transactione etc. extrajudicialiter videt et componit de bono et æquo. Ex quo conceptu jam patet differre Arbitrum ab Arbitratore. Præterea Arbitratoris sententia, quæ *Arbitramentum* dicitur ob gravem læsionem corrigitur ad arbitrium boni viri. *L. Societatem § Arbitrorum ff. Pro Socio.*

3. Diximus Arbitros dividi inter Arbitros juris et arbitros compromissarios. Arbitrator juris, qui dicitur etiam arbitrator necessitatis, ex præscripto legis constituitur. Constituitur vero vel a iudice vel a partibus, prout diversa est dispositio juris. Varia dantur in jure exempla. In *c. 39. de Off. Deleg. et 11. eod. in 6.* jubetur eligi arbitrator ad decernendum de causa suspicionis ob quam

iudex recusatur. Pariter ex *c. 14. de Rescript.* cum plures iudices dissident super revocatione literarum apostolicarum, a partibus arbitri eligendi sunt. Ex can. *Si Clericus c. 11. q. 1.* quæstio exorta inter Episcopum et Clericum sibi subjectum iudicio arbitratorum ex conventionione partium eligendorum terminanda est etc.

4. Porro arbitri hujusmodi in variis differunt ab arbitris compromissariis. Nam arbitri juris habent a lege proprie dictam jurisdictionem in similitudinem iudicis, et quandam coërcitionem; arbitri vero compromissarii habent potius notionem quæstionis. Hinc non possunt testes compellere ad comparendum. 2º. A sententia arbitratorum juris datur proprie dicta appellatio ad iudicem superiorem; non potest autem appellari a sententia compromissariorum *L. 1. C. h. t.* — 3º. Arbitri juris possunt compelli ad suscipiendum onus videndi causam virtute etiam obedientiæ *c. 61. de Appell.* non vero Arbitri compromissarii.

5. Quæritur 1º. Quinam possunt in Arbitros compromittere? Resp. Illi solummodo, qui habent liberam rerum suarum administrationem, et per consequens possunt transigere et alienare res suas. Deducitur hoc principium ex *c. 5. h. t.* ubi R. Pontifex reprobatur arbitri laudum quoad aliqua capitula de quibus Abbas Monasterii compromittens disponere non poterat.

6. Quæritur 2º. quinam in arbitros assumi possint. Resp. Dummodo persona sit idonea ad negotium æstimandum et ad causam cognoscendam potest eligi ad officium arbitri, nisi expresse a lege vel a canone prohibeatur. Prohibentur vero a jure pupilli et minores 20 an. *L. 46. ff. h. t.* Ex jure canonico autem prohibentur 1º. Excommunicati non tolerati *c. 39. de sent. Excomm.* — 2º. Ex *c. 4. h. t.* cui consonat *L. ult. C. h. t.* feminæ eligi nequeunt ad officium arbitratorum. At exceptio fit quoad mulieres præcellentes seu illustres quæ jurisdictione civili gaudent vel ex jure communi vel ex consuetudine; *cit. c. 4. h. t.* ubi Innocent. III. decernit, valere arbitrium emissum a Regina Francorum in causa inter Monachos Cistercienses et Hospitalarios super usu alicujus silvæ, eo quia ex consuetudine Regina jurisdictionem habebat in subditos suos. — 3º. Religiosus arbitrator eligi nequit, nisi exposcente utilitate Monasterii, et accedente consensu superioris; *can. Monachi c. 16. q. 1. Concordat c. 39. de sent. Excomm.* in quo dicitur Monachos vacare debere observantiæ proprii instituti.

7. Quæritur 3^o. Quid dicendum de laicis in causis spiritualibus? Quærimus in causis spiritualibus, nam si sermo esset de causis civilibus Clericorum, possent utique laici eligi in arbitros *arg. c. 4. et c. 11. h. t.* Et ratio est, quia arbiter compromissarius habet solummodo notionem quæstionis, non autem exercet aliquam jurisdictionem in personas. Si vero sermo sit de causis spiritualibus, generatim vetitum est ne laici in arbitros eligantur *c. 8. h. t.* Verum laicus ex privilegio apostolico potest arbiter eligi in causa spirituali cognoscenda. Insuper ex dispositione juris laicus simul cum Clericis accedente auctoritate superioris ecclesiastici, seu iudicis ordinarii, potest eligi in arbitrum in causa spirituali *c. 9. h. t.* Neque hæc duo capita sibimet adversantur. Nam in *c. 8.* prohibetur quominus laicus eligatur arbiter, eo quod indecens est, laicum de rebus spiritualibus tractare. Præsumunt enim easdem res ignorare. Non autem absolute reprobat talis electio, quia mala, quiasve secumfert exercitium jurisdictionis laici, in res vel personas ecclesiasticas; quo in casu tolerari non posset electio laici, quemadmodum verificaretur in specie iudicis delegati, sed electio arbitri non admittitur solummodo, quia, ut diximus, indecens est. At cum assumatur laicus cum Clericis, indecentia non amplius verificatur; nam 1^o. nullam exercet jurisdictionem, 2^o. in causæ cognitione potest corrigi a Clericis, si quid dixerit minus sapienter aut minus conveniens cum s. canonibus.

8. De numero Arbitrorum. — In *c. 1. h. t.* prohiberi videtur assumptio arbitrorum in numero pari; at in *c. 12.* admittitur electio eorundem in pari numero. Attenditur vero et in praxi præfertur dispositio *c. 12.* quod tempore posterius est capite 1. Quod si prævideatur quæstionem resolvi non posse ex electione arbitrorum in numero pari, dari potest eisdem facultas assumendi secum alium arbitrum. Quæ facultas ut valeat, debet esse in personam determinatam. Potest vero compromitti in unum vel in plures, ut vel ipsi videant vel alios eligant qui causam videant *c. 13. h. t.* Hæc duo capita 12. et 13. prima fronte videntur dissentire, sed revera componi possunt inter se. Nam ideo in *c. 12.* rejicitur compromissum in incertam personam, quia discordes arbitri inter se in merito causæ, facile possent dissentire etiam in eligenda nova persona, et proinde lis facile non finiretur. Agitur ergo de specie in qua arbitri causæ notionem jam ingressi sunt, et differentis sunt opinionis. At in *c. 13.* species est de arbitro qui antequam in-

ceperit causam videre, potest vi compromissi vel ipse videre vel in alios deputare. Timor ergo protrahendæ quæstionis non adest quemadmodum in specie *c. 12.* Ergo. *Cfr. Glos. in c. 13. v. Mediatorum.*

9. De causis in quibus eligi possunt arbitri. — In omnibus causis, de quibus libere disponere possumus, etiam arbitros constituere possumus, nisi exceptio detur a jure. Porro in illis causis quæ graves censentur, et ob periculum gravis præiudicii quod afferre possunt, requirunt solers iudicium majorum iudicum, compromitti non potest in arbitros *c. 9. de in integr. rest.* Hinc ex dispositione hujus *c. 9.* 1^o. compromitti nequit in causa restitutionis in integrum; sed arbitri possunt de ea iudicare solummodo si incidenter exurgat in quæstione principali arbitris commissa. 2^o. Compromitti nequit in causis matrimonii, quæ vinculum respiciunt *c. 9. et Glos. ibid.* Causæ enim hujusmodi requirunt majores iudices. Hinc penes tribunal Episcopi pertractari debent *sess. 24. c. 20. de Ref. in Trid. et c. 12. de Excessib. Prælator.* 3^o. Compromitti nequit in causa libertatis, idest utrum quis sit ingenuus vel servus, vel utrum emancipatus sit necne. 4^o. Constitui arbitri non possunt in causis criminalibus criminaliter actis. Requiritur enim imperium ex parte iudicum. Possunt vero in arbitros compromitti causæ criminales si de effectibus civilibus sermo sit. Præter quatuor expositas causas designatas in *cit. c. 9.* dantur et aliæ quæ excludunt iudices compromissarios. Sunt vero: 1^o. causæ reservatæ iudicio R. Pontificis, quæque enumerantur a Glossa in *c. 1. de Transl. Episcopi v. pertineant*; 2^o. quæstio respiciens collationem beneficii, nisi accedat auctoritas superioris; 3^o. causæ respicientes exemptionem eorum qui immediate subduntur S. Sedi, nisi accedat consensus R. Pontificis *c. 5. § ff. h. t.* 4^o. tandem causæ vel liquidæ vel in quibus locum habuit res iudicata. Compromissum enim est ad modum transactionis, quæ de re certa fieri nequit. Excipe nisi post rem iudicatam vel in ejus executione, vel in consecrariis quæstionis possit oriri; quo in casu arbitri eligi possunt, quemadmodum tradit *c. 11. h. t.*

10. De potestate et officio arbitrorum. — Procedit hæc potestas ad modum potestatis iudicis delegati, quamvis vera potestas ad sensum juris dici nequeat, quia jurisdictio non conceditur a privatis hominibus. Tanta vero est arbitrorum potestas, quanta in compromisso exprimitur. Officium vero arbitrorum est ut ordine

judiciali servato procedant, et juxta formam expressam in compromisso. Quæ nisi servetur arbitrium non valet. Hinc ex. gr. possunt compromittentes constituere ut arbitri procedant summarie et de plano. Quo in casu semper tenentur arbitri audire partes, et cætera peragere, quæ inserviant ad res humano et rationabili modo cognoscendas. Hinc pariter si in compromisso partes edixerint ut vel omnes vel major pars arbitrorum convenire debeant ad conficiendum plenum laudum, hæc lex debet observari, et si secus fiat, arbitrium viribus caret. Quod si plures dati fuerint arbitri, et nihil fuerit adjectum, laudum erit illud in quod major pars arbitrorum consenserit *c. 2. h. t. in 6.* Quid vero dicendum si quis ex arbitris suffragium non tulerit? Si moriatur unus ex arbitris, tunc nec alii procedere possunt. Non enim amplius integrum perseverat collegium personarum a partibus constitutum. Quod si unus renuerit suffragium dare, tunc alii procedere possunt *c. 2. h. t. in 6.* Nam etiam in tribunali collegiali, si unus judex sese absteineat a judicio ferendo, valet nihilominus sententia, quæ profertur a reliquis. At exceptio facienda est, nimirum, nisi in compromisso dictum sit, ut omnes procedant. Quod si nec omnes nec major pars conveniat, quæstio non est definita, sed arbitri functi sunt munere suo et eorum cessat officium. Si vero quæstio esset de summa pecuniæ ex. gr. 50 et unus ex tribus arbitris judicium ferret pro integris 50, alter pro 25, tertius pro 20, arbitrium valeret, et sustineretur sententia tertii; nam omnes certe conveniunt solvenda esse scutata viginti. Ita *c. 1. h. t. in 6.*

11. Arbitri non possunt excedere limites causæ sibi commissæ. De una ergo ad aliam causam nequeunt transire. Possunt vero videre et decernere de iis quæ necessario et intrinsece connectuntur cum causa principali, ita ut nisi de illis decernerent, quæstio circa principalem causam perseveraret. Infertur hoc principium ex *cc. 5. et 21. de Off. Deleg.* ubi in commissione causæ principalis censetur delegatum fuisse accessorium, licet de accessorio mentio facta non fuerit. Quare arbitri possunt decernere de exceptionibus tam dilatoriis quam peremptoriis; constituunt enim partem ordinariam defensionis partium. Idem dicendum de causa restitutionis in integrum, quæ inciderit in progressu quæstionis principalis. Possunt insuper statuere diem solutionis perficiendæ *L. 23. ff. h. t.* Possunt 3^o. decernere de fructibus rei frugiferæ quæ arbitrii objectum constituit. Possunt 4^o. condemnare in ex-

pensis litis; quæ condemnatio potest etiam locum habere in casu quo unus ex compromittentibus contumax fuerit, eumque Arbitri condemnabunt ad solvendas expensas, quas alius compromittens ob contumaciam adversarii fecerit.

12. Ad officium arbitrorum spectat insuper sententiam in præsentia partium proferre, nisi in compromisso dictum fuerit posse laudum pronunciari etiam una ex partibus litigantibus absente *c. 10. h. t.* Quoad tempus pronuntiationis laudi si fuerit in compromisso definitum, servandum est, secus debet esse congruum, et una parte instante cogi possunt arbitri ut tempus hoc congruum præfiant. Quoad vero locum pronuntiandi laudi, vel ille est, qui a partibus constitutus fuit, vel nisi fuerit constitutus, laudum pronuntiabunt arbitri ubi acceptarunt compromissum. *L. 21. § 10. ff. h. t.*

13. De effectibus arbitrii. — Compromissum fieri potest vel simpliciter, vel sub adjecta pœna contra eum qui laudum noluerit acceptare. Iterum pœna potest adjici principaliter, scilicet ut obligatio sit solummodo ad subeundam pœnam, vel ad confirmandam ipsam obligationem conventionis. Si pœna principaliter adjecta fuerit, poterit agi contra non acceptantem laudum ad solvendam pœnam, qua soluta ad nihil aliud tenebitur. Quod si minus principaliter apposita fuerit pœna, ea soluta, adhuc integra perseverabit obligatio principalis, perinde ac si fuisset compromissum purum ac simplex. Quæ obligatio compromissi puri et simplicis qualis sit et quos effectus juridicos producat, explicandum est. Distinguendum vero est utrum arbitrium fuerit tantummodo a compromissariis pronuntiatum, vel fuerit etiam homologatum, idest acceptatum a partibus. Hæc vero acceptatio fieri potest vel expresse vel tacite, id est si intra 10 dies non contradixerint partes. Si acceptatum fuerit arbitrium, datur parti volenti vel actio in factum coram judice ordinario, qui exequitur laudum arbitrorum quasi sententiam a se latam quæ in rem judicatam transierit; vel etiam exceptio si altera pars actionem intentet contra laudum *LL. 4. et penult. C. h. t. et c. 9. h. t.* Quod si laudum non fuerit homologatum a partibus, conceditur parti volenti actio contra aliam ad interesse. Hac vero actione pars resiliens a laudo tenetur alteram servare indemnem, idest debet eidem solvere quanti intererat ejusdem, arbitrium executioni mandari. Quod si vero in compromisso compromittentes juramentum emisissent se servaturos fore arbitrium

a compromissariis edendum, tunc non datur actio ad interesse, sed servari prorsus debet arbitrium. Hoc enim in casu non præsuntitur observantia juramenti vergere in præjudicium salutis æternæ quando compromissum legitime fuerit confectum *c. 2. de Pactis et c. 9. h. t.*

14. De remediis contra injustum laudum. — *L. 27. § Statim ff. h. t.* in genere statuit servandam esse sententiam arbitratorum, sive ea æqua sit sive iniqua sit, ob eam rationem, quia compromissum est ad modum contractus, quo compromittentes conveniunt in sententiam virorum probatorum. Hinc quidquid compromissarii decreverint, habendum est quasi fuerit ab ipsis compromittentibus constitutum. At si laudum injustum fuerit, datur nihilominus remedium a jure ut corrigatur. Et primo quidem si sermo sit de arbitratorum necessariis, qui arbitri juris dicuntur, parti læsæ præsto est remedium appellationis *c. 12. de Off. Deleg. in 6.* Si vero sermo sit de laudo edito ab arbitratorum compromissariis, distinguendum est utrum fuerit homologatum vel non. Si non fuerit homologatum et contineat evidentem iniquitatem, pars læsa poterit implorare officium judicis ut injustum laudum arbitrio boni viri corrigatur et ad æquitatem reducatur; Abbas in *c. 23. de Jurejur. n. 29.* et alii. Porro judex erit idem, qui debuisset videre de causa nisi partes compromississent in arbitros. Quod si arbitrium fuerit a partibus homologatum, tunc nec appellatio competit, nec reductio ex sententia boni viri *L. 24. § 2. h. t.* At si iniquitas laudi notoria et manifesta sit, quamvis actio non detur ad laudum corrigendum vel irritandum, tamen datur parti læsæ exceptio ad repellendum adversarium qui instet pro observantia laudi. Hæc vero exceptio esse potest una ex illis quæ opponi possunt contra transactiones læsivas, ex. gr. falsitatis, fraudis, timoris, erroris *LL. 28. et 29. C. de Transact.* Præsertim vero opponi potest exceptio doli contra ipsum adversarium, qui ob manifestam iniquitatem laudi, cujus executionem exposcit, præsuntitur esse in dolo. Hæc exceptio est perpetua, idest proponi potest etiam ultra 10 dies statutos pro approbatione laudi quotiescumque exposcatur executio laudi. Quod si injustitia laudi secumfert peccatum irremissibile a partibus, ex. gr. simoniam, usuram proprie dictam, laudum esset ipso jure nullum, quemadmodum Doctores inferunt ex *c. 2. h. t.*

15. De modis quibus expirat potestas seu officium Arbitratorum. — Expirat potestas seu officium Arbitratorum 1º. pronunciatione

laudi in causa principali ipsis commissa; ita ut nequeant arbitri iterum causam videre, et corrigere propriam sententiam. *L. 19. ff. h. t.* Judex enim prohibetur a jure bis videre et decernere in eadem causa. Diximus vero *in causa principali*; nam in sententia interlocutoria possunt arbitri judicium mutare et corrigere. Expirat 2º. mutuo compromittentium consensu. 3º. Morte arbitri, vel unius ex pluribus arbitratorum, nisi fuerit adjecta clausula in compromisso 'ut si non omnes possint, saltem aliqui negotium videant *c. 42. de Off. Deleg.* 4º. Morte alterutrius ex compromittentibus *c. 10. h. t.* Compromissum enim in genere non obligat hæredes; censetur enim factum a compromittentibus ob amicitiam vel saltem fiduciam quam habent erga personas arbitratorum. Potest vero etiam hæredes obligare, si id caverint expresse compromittentes. Quo in casu non expirat compromissum per mortem alterutrius compromittentis *L. 27. ff. h. t.* 5º. Expirat lapsu diei præfiniti in compromisso *L. 1. C. h. t.* 6º. Si ab una parte fuerit causa delata ad judicem ordinarium. Quo in casu licet pars quæ compromisso non stetit solvere pœnam in compromisso statutam cogatur, tamen arbiter de causa videre non poterit. 7º. Recusatione suspecti arbitri *L. 9. ff. h. t.* ob enatam inimicitiam vel ob aliam justam causam, vel alia justa recusatione, ex. gr. si ob ingravescentem morbum arbiter vel incapax efficiatur prorsus ad laudum proferendum, vel diu differre debeat pronunciationem laudi cum præjudicio alterutrius compromittentium *L. 15. ff. h. t.*

Finis Libri I. Decretalium Gregorii IX.

Laus Deo.